

1565 Grumius antea petierat, denuo Joannis Regis nomine de patricia puella sibi connubio jungenda postulavit. Re ad Senatum deducta, ut Provanio hunc in modum responderetur, latum. *Legibus Rempublicam constare, iis veluti nervis compactam, ac connexam teneri; inde mores, atque instituta fluxisse, quæ non absque detrimento immutari queant; quin, uti maxime cuperet, Regis petitioni satisfaciat, ea esse impedimento.* Cum literis perhumaniter ad Regem scriptis Provanus discessit, varioque eventu hoc anno in Pannoniæ finibus pugnatum; oppida modo capta, modo recepta, levioribusque certaminibus plerumque res acta, Suleimano, ut moris Ottomanorum Regum est, una tantum expeditione suscepta, belli nervos in Melitensem oppugnationem intendente.

*Aloysius
Mocenicus
cum imp. legatus in cō-
tinenti.*

Licet vero in pace retinenda cunctorum Italorum Principum conspirantibus animis, otii dulcedine, altaque tranquillitate hæc provincia perfrueretur; Senatus tamen rerum terrestrium curam minime abjiciendam arbitratus, legatum summa cum auctoritate, atque imperio in continentem mittere decrevit. Creatus Aloysius Mocenicus eques; injunctumque, ut urbes, oppida, arces, ditionesque Reipublicæ invisendo, iis rebus, quæ ad terrestre imperium tuendum, firmandumque attinerent, sedulo prospiceret; atque in Carnos præsertim profectus, universa regione lustrata, situque diligenter inspecto, de munitione erigenda consuleret, qua barbarorum impetus superiori tempestate ingenti incolarum damno funesti, ac calamitosi cohiberentur, deque re ipsa ad Senatum referret. Vincenzio quoque Mauroceno continentis Sapienti munus cataphratorum, leviorisque armaturæ equitum lustrandorum delatum. Sub id tempus Maximilianus Cæsar sorores duas, Barbaram unam natu majorem Alphonso Ferrariæ; Joannam alteram minorem, Francisco Cosmi Florentiæ Ducis filio, Principi connubio junxit; quæ, nobilium virorum, ac mulierum coetu comitante, cum per Rhætos in Italiam descendissent, in Veronensium finibus Senatus jussu a Veronæ magistratu liberaliter exceptæ sunt; iis hospicia exhibita, munera publico nomine delata. Bini e patricia juventute pro gratulationis munere obeundo legati delecti; Aloysius Contarenus, Laurentius Priolus; quorum alter ad Alphonsum Ferrariam; alter

*Maximilianus
Cæsaris
filia Alphonso
Ferrariæ Ducis,
& Francisco
Cosmi Florentiæ
Principi nuptæ.*

*Aloysius
Contarenus,
& Laurentius
Priolus
ad Ferrariensem
& Hetruscum
oratores designati.*